

X

H

pleni

sum omnes de

um
qui in
guerra alle

ut in ore eorum om
ni
um

ta ut nominum sanctificationis su

ov

nicht in Ab

10

U. g. 17, 9

DISPUTATIO
De
NATURA ET CON-
STITUTIONE POLITICES.

Quam
 In Incllyta Philurea

DEO favente & Celeberrimò Facultatis Philosophicæ

Collegiò indulgente

P R Æ S I D E

Virò Excellentiss. Clarissimoq;

DN. M. JACOBO THOMASIO,

Dialectices Philippæ Professore celeberrimò,

Facultat. Philosophicæ Adfessore & Collegii

minor. Princip. Collegiato,

Dn. Præceptore, Promotore ac Fautore suò colendò

Publicæ placidæq; Eruditorum Disquisitioni

submittit

JOHANNES CHRISTIANUS VILIZ,

Qvedlinburgensis Saxo.

A. & R.

Ad diem Februarij

H. L. Q. C.

ANNO MDC LIX.

L I P S I Æ

Typis Hæred. Colerianis.

V I R O

Magnifico, Amplissimo, annosâq; Prudentiâ Cumulatiß.
DN. FRIDERICO *LENZ* / J. U. D. Celeberrimo, Ge-
nerosissimi & Perillustris Domini Comitis à Schwarzburg in
Rudelsstadt /*rc.* Cancellario, intimoq; Consiliario
Eminentiss.

NEC NON

Plurimum Rever. Ampliße. atq; Excellentissimo
DN. JOHAN. ANDREÆ *WENDEL* / SS. Th.
D. & P. P. Extraordinario, Collegii Philosophici Adjuncto
meritissimo Witebergæ.

T U M

Nobilissimo, Excellentissimo, Consultissimoq;
DN. ISAACO *SEYDERT* / J. U. D. Scabinatûs Electo-
ralis, qui est Lipsiæ, Adfessori Ordinario Famigeratissimo.

UT ET

Admodum Rever. Ampliße. Doctissimoq;
DN. CHRISTOPHORO *HEMERT* / Theologo de-
votiss. Illustrissimi Consistorii Electoralis Brandenburgici, apud Halbersta-
denses, Adfessori gravissimo & Districtus Eglensis Superat-
tendenti Vigilantissimo.


DENIQUE

Admodum Rever. Clariße. Doctissimoq;
DN. M. JOHAN. VILIZ, Pastori apud Quedlinburgen-
ses Fideliss. & Reverendi Ministerii, quod ibidem est, Seniori
Dignissimo.

*Dominis suis Mæcenatibus, Evergetis, Fautoribus Magnis, Parenti,
summâ Observantiâ etatē suspiciendis, Dilectissimo,*

In locum Strenæ, Officiosissimi cultûs Arrham, gratæ mentis
& Obsequii filialis symbolum, & ulteriorem favorem amo-
remq; , submissè consecrare debuit

A. & R.



A & Ω.

PRÆFAMEN.

Quod Encomium Cicero lib. V. Tusc. tribuit Philosophiæ universæ, id nos imprimis ad Politicam accommodare, verbisq; summi oratoris paulisper mutatis atq; dilatatis, hunc in modum exclamare possumus: *O vitæ Politica Dux! O civilis vitæ Architectrix! quid non modò nos sed universa vitæ, omnes actiones cogitationesq; hominum, sine te fuisset? tu urbes peperisti, partas confer vasti, muni vistiq; legibus: Tu hominum societatem primò domiciliis, deinde conjugis justis, tum morum ac disciplinæ vinculo colligasti. Tu Dux & Autor virtutum: tu Magistra morum. Tu pacem civibus, incrementa civitatibus, gloriam, dignitates, opes, summamq; amplitudinem tui studiosis confers. Tuò præsidio incolumes, tuâ autoritate ab improborum impetu tuti sumus; tuò munere & domi securè & foris in iudiciis, in contractibus, in negotiis omnibus, sine injuria, honestè tutoq; versamur: per te quid nostrum, quid alienum, quid commune sit, exploratum habemus: per te fundos, patrimonium, hæreditates, uxorem, liberos, & quæcunq; nostra nobis chara sunt, stabilia, inviolata, tuta, sarta, tecta, retinemus! Sine dubio summa est Politicæ doctrinæ præstantia, nobilitas insignis, utilitas admirabilis. Quapropter & nos illius*

A 2 amore

amore incitati, præsentem de ejus natura & constitutione, Disputationem, pro concessis ingenioli viribus, conscripsimus, sperantes conatum huic nostrum æquis censoribus non improbatum iri. Ne verò ἀμείβοι dicamur, certis atq; distinctis positionibus & expositionibus animi nostri sensa inclusimus, Deum orantes, suò numine ac lumine nos ducere velit!

POSITIO I.

Definienda rei præcognitio est instituenda, qua absolvitur explicatio Etymologia, Homonymia ac Synonymia.

EXPOSITIO.

§. I.

ET si major & potior rerum est habenda ratio, ut inter omnes ex Doctorum sententiis constat, quippe cum res prædominentur, verba v. ancillentur, rebus se subjiciendò, illarumq; intentioni serviendò: tamen etiam verborum cura non est postponenda, quoniam sunt rerum notæ, Cic. in Top. Aristot. in l. de interpret. c. i. pictura animi, causa doctrinæ & instrumenta cognitionis, quibus videlicet in rei perceptionem provehimur, dicente & docente subtilitatum magistro Exerc. I. l. i. Quapropter & nos operæ pretium facturos confidimus, si Etymologiam, Synonymiam & Homonymiam argumenti nostri in fronte statim examinemus.

§. 2. Quod igitur Etymologiam spectat, notandum est, hanc vocem, Politica, πολιτική, à Græcis ad Latinos deductam, dici ἀπὸ τῆς πολιτείας, à Republica, (quo sensu Arist. l. 3. Pol. c. 4. & alibi hoc nomen usurpat,) πολιτείας vero ἀπὸ τῆς πόλεως derivari, quod vocabulum à πολὺς fluere videtur. Cum autem πολιτική sit vocabulum adjectivum, subaudiri debet Πραξιμική, Φρόνησις, aut aliquid tale, quod verti possit Civilis prudentia.

ria. Et à πολιτική oriuntur πολιτικός & πολιτικόν, politicus & politicum. vid. Cellar. Wendeler.

§. 3. Porro non unò modò Politicam sumi advertimus. 1. enim pro tota Philosophia practica, per synecdochen partis pro toto, accipitur, includitq; Ethicam, Politicam εἰδικῶς appellatam & Oeconomicam. Arist. non semel. 2. pro parte Philosophiæ practicæ, eâ, quæ est de Republica. Hòc autem modo iterum διττῶς consideratur, (α) systematicè (β) & habitua-liter. Illò respectu legitimam præceptorum comprehensionem: hòc habitum Rempublicam bene instituendi & administrandi significat. 3. Artem simulandi & dissimulandi, itemq; comiter & amicè cum hominibus conversandi, innuit. 4. capitur pro arte Machiavellicæ, quæ in fraudibus versipelli astutia, aut jesuiticis dolosis fidei elusionibus, verborum æquivocis significationibus, aut reservationibus mentalibus, consistit. Neufeld. disp. i. polit. Ex his acceptionibus secunda & quidem respectu posteriori, ad nostrum facit institutum. Solemus enim hodie, secus atq; veteres, cum Politicam nominamus, practicæ philosophiæ partem tantùm alteram intelligere.

§. 4. Cæterùm, quia vox πολιτικός, ἢ, οὐ, denominativa est, & vero non tantùm arti illi, seu, habitui circà Rempubl. versanti, sed aliis insuper rebus tribui solet, non abs re erit, hòc locò videre, quibusnam prætereà rebus, & quo sensu accommodetur.

§. 5. Primò Philosophus V. Nicom. c. 6. τὸ δίκαιον πολιτικόν, jus civile, quod videlicet intercedat hominibus liberis, sufficientiã gratiã societate vitæ copulatis, considerat, illudq; ἀπλῶς δίκαιον vocat, sensu videlicet tam amplò sumens hoc vocabulum, ut postea c. seqv. dividere illud potuerit in naturale & legitimum (φυσικόν & νομικόν) strictiùs longè ἸCti, cum jus civile à naturali & gentium jure, tanquam species disparatas distinguunt. Sed Aristoteles πολιτικόν appellandum ibi putavit, jus omne, quocunq; civiles societates continerentur.

§. 6. Deinde l. i. Hist. anim. c. i. animalia quædam πολιτικά vocantur. Cùm enim distinxisset ibi philosophus animalia gregalia (ἀγελαῖα) à solitariis, (μοναδικαῖς:) gregalia statim

et dividit in civilia (πολιτικά) & sparsa (πειραδικά inciviles animantes vertit Gaza,) civilia vero definit, quorum unum & commune omnium opus est, qualia sint homo, apes, vespa, formica, grus. Civile animal hominem passim etiam pronunciat in Ethicis & Politicis 1. Nicom. 7. VIII. 12. IX. 9. 1. Polit. 2. & III 4. pro quo Stobæus eleganter φιλάλληλον καὶ κοινωνικὸν ζῶον dicit, descriptus à Camerario post libell. Plutarchi de virtute morali p. 77. *Hominis natura habet quiddam innatum qf. civile atq; populare, quod Græci πολιτικὸν vocant, Cic. V. fin. p. 140.*

§. 7. Sed hōc sensu nemo est hominum, qui non politicus appellari possit. Superfunt aliæ significationes, quæ non in omnes conveniunt, quarum aliæ ad τὴν πολιτείαν, aliæ ad τὴν πολιτικὴν ἔξιν respiciunt. Ad τὴν πολιτείαν, ut cum I. polit. 1. & 3. πολιτικός opponitur τῷ βασιλικῷ, ubi βασιλικός est, qui in regno scit imperare, πολιτικός, qui in Republica populari (hanc enim generis nomine πολιτείαν appellare solent græci) per vices jam imperare novit, jam parere.

§. 8. Ab habitu vero politico varii generis Politici denominantur, prout ipsa Politicæ artis vox ambigua est. Nam ut ea sensu totali Ethicam includit quoq; , ita bonus Politicus interdum sumitur pro bono Ethico, ut I. Eudem. 5. ubi negat Aristot. omnes qui vocentur vulgò politici, hōc nomine statim dignos esse, quia multi sint πολιτικοὶ ὁ κατὰ τὴν ἀλήθειαν. Ὁ μὲν γὰρ πολιτικός, inquit, τῶν καλῶν ἐστὶ περὶ τῶν προαιρετικῶν, αὐτῶν χάριν, qui perfectò character est viri probi, Ethici boni.

§. 9. Ulterius ut sensu partiali Politica sumitur pro ea facultate, quæ in Republ. & negotiis civilibus versatur; quam alii veram, alii falsam; perfectam nonnulli, alii imperfectam sibi comparaverunt: ita & Politicus. sensu istis facultatibus accommodatò, verus est alius, alius falsus: perfectus unus, imperfectus alter. Verum politicum Arist. I. Nicom. 13. *maximè laborare ait de virtute, ut eam civibus inferat, probosq; eos & legibus obtemperantes reddat.* In hoc enim sita est civilis beatitudo, ad quam talis politicus consilia sua ultimò dirigit. Unde patet, falsò politicorum nomen arrogare sibi callidos & versutos homines, qui in gerendâ Republ. non salutem populi, sed huic repugnans;

pugnans, nescio quod simulacrum improbitatis Machiavellicæ respiciunt, nec Deum, nec homines, (ut Piccartus loquitur p. 7. proleg. ad Arist. Polit.) reverentes, juramentis tanquam mantilibus ad extergendum sordes quotidianas utentes. Cellarius p. 17. Polit. hos rectius *Statistas*, quàm *Politicos* vocari existimat.

§. 10. Ad perfectum politicum Arist. c. ult. Nicom. perinde ut ad perfectum Medicum, duo requirit, certam universalem scientiam, & experientiam singularium. Necessè ergo est, pro imperfectis Politicis habeamus, qui vel scientiâ vel experientiâ solâ suffulti, alterò qf. Politices pede claudicant. Ad priorem classem meritò Sophistas sui temporis Arist. d. l. relegat, præsertim, cum ne ipsâ quidē, quam profitebantur, politicarum rerum scientiâ satisessent accuratâ instructi. Ad posteriorem referamus licet eos, qui se hâc parte Empiricis medicis similes præbent.

§. 11. Etiam oratores olim titulum Politicorum sibi sumebant, ut innuitur *libro I. Rhetor. c. 2.* sed hos defellit illa, quæ Rhetoricæ, cum practicâ Philosophiâ, intercedit cognatio. Etenim ut d. l. scribit Arist. *συμβαίνει τῷ ῥητορικῷ οἷον τῷ φιλοσοφικῷ καὶ τῆς διαλεκτικῆς, εἶναι, καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πραγματείας, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικῆν.* Eodem errore Sophistæ politicam vel idem cum Rhetoricâ, vel eâ etiam minutius quippiam esse credebant. c. ult. Nicom.

§. 12. Synonymiam Politicæ quod attinet, nullam habet ea magnoperè, nisi quòd latinè doctrina civilis, vel de Republica verti solet. Hinc Politicos suos libros Lipsius doctrinam Civilem, Bodinus, Petrus Gregorius, Conzen, alii de Republica inscripserunt. Casus volumini, quod ad ductum Politicorum Aristotelis scripsit, Sphæræ civitatis nomen posuit. Periphraſes & Encomia Politices in hunc locum congerere, rem esse arbitramur nec iudicii ullius, nec necessitatis.

POSITIO II.

*Politica est Prudentia civitati formam Reip.
rectè*



*rectè imponendi, eamq; ad salutem Civium admi-
nistrandi.*

EXPOSITIO.

Præmissis iis, quæ ad nominis s. definiti analysin & illu-
strationem spectant, ritè venimus ad ea, quæ ad rem ipsam fa-
ciunt. Observamus autem in definitione, tum genus, tum dif-
ferentiam Specificam.

POSITIO III.

Genus Politicæ est Prudentia.

EXPOSITIO.

§. 1. Prudentiam legitimum esse ac proximum Politicæ
genus, probamus hõc argumentõ. *Quicquid de Politicâ proxi-
mè predicatur in quid, illud eius verum est & proximum genus :
Prudentia de Politicâ proximè predicatur in quid, E.*

§. 2. Major radiat suâ luce. Minor ut probetur, præ-
supponimus, quòd nemo negabit facilè, Politicam habitualiter,
ut nos facturos prædiximus, consideratam, esse in prædicamento
qualitatis & quidem primâ ejus specie, quæ vocatur habitus.

§. 3. Jam cum habitus non unius sed diversi generis re-
censeantur, circumspiciendum est, ad quem proximè hæc Disci-
plina accedat. Non est autem habitus moralis. Tametsi enim,
verus Politicus non est, qui non idem morales virtutes possideat :
tamen habitus ille, à quo talis appellatur propriè politicus, non
in appetitu, sed intellectu sedem habet. Ergo in Habituum in-
tellectualium classe quærenda erit Politicæ.

§. 4. Hos quinque numerat Aristot. VI. Nicom. 3. tres
Theoreticos, Practicos duos. Sub theoreticis politica esse non
potest, quia in contemplatione non acquiescit. Unde fallun-
tur, qui genus ipsi assignant scientiam. Et si enim excusari pos-
sunt

funt quodammodo, quia eam volunt esse scientiam practicam, tamen nulla eos cogit necessitas, ut scientiæ vocabulò abutantur, & ab ea significatione, quæ in specificandis habitibus intellectualibus recepta est, ubi practica scientia verè *σθηρόζυλον* habetur, recedant.

§. 5. Superest ergo ut Politicam, quia practicus habitus est, vel artem statuamus vel Prudentiam. Sunt quibus placet per Artem eam definire. Et hi definiunt artem, quòd sit *ordo s. systema preceptorum exercitatione cognitorum ad finem utilem in vita*. Sed hòc ipsò, (ut alia taceamus,) demonstrant, se politicam systematicè, non ut nos proponebamus, habitualiter, accipere. Quapropter cum iis nihil est nobis negotii.

§. 6. Si artem aristotelicò sensu nuncupemus habitum effectivum, qui non ipsum hominis ultimum finem attingat, sed in medio conquiescat, facile est intelligere, politicam non esse artem. Elevatur enim ad summum finem & elaborat, ut civilem beatitudinem societati suæ inducat: quo nomine eam Philosophus I. Nicom. 2. *κυρωτάτω καὶ μάλιστα δεχίτεκτονικῶ* prædicat.

§. 7. Remotis ita habituum generibus cæteris, sola restat Prudentia. Quam legitimum esse Politicæ genus, vel definitio ejus evincat. Est enim *habitus cum recta ratione activus, circa ea, quæ homini vel bona vel mala sunt*. VI. Nicom. 5. Qua in definitione nihil est, quod non possit de Politica verificari.

§. 8. Quod verò Prudentia Politicæ sit insuper proximum genus, inde confirmatur, quia profundius in hac prædicamentali scala descenditibus inter prudentiam & Politicam nullum offertur medians genus. Post prudentiã enim statim hæc tria occurrunt, Ethica, Politica, Oeconomica, tanquam species disparatæ: (sequimur hîc doctrinam quæ & Clariss. Sthelio placuit p. 17. Eth.) quarum Ethica docet, quo pacto se quisq; privatim, Politica Civitatem, Oeconomica familiam ad beatitudinem practicam perducatur.

§. 9. Ita exposuimus de genere Politices. Quæret fortasse aliquis, quid illis responsuri simus, qui generis loco partem philosoph. Practicæ nominant? Idem, quod modò laudatus

tus Sthalius p. 14. Ethicam sic definiuntibus regerit: *Et si non negemus Ethicam (Politicam) partem Philosophiæ practicæ esse, tamen hoc non est genus ejus, nec hoc queritur, quando de genere ejus queritur. Sciendum enim, quod, quando inquiritur in genus alicujus scientiæ, tunc illa scientia absolutè consideretur & non, ut est pars cujusdam, & propterea etiam pars non debet constitui genus alicujus scientiæ, sed aliud quiddam, quod habet naturam magis absolutam. Hinc etsi verum sit, physicam esse partem philosophiæ contemplatiuæ, nemo tamen facile, cum definienda est physica, constituit ejus genus, partem philosophiæ Theoreticæ, sed aliud inquirit, quod nimirum sit scientia.*

POSITIO IV.

*Differentia specifica in definitione, sumitur
1. ab Objecto, nempe Civitate. 2. à fine duplici.*

EXPOSITIO.

§. 1. Duplex politicæ finis est, internus & externus. Interni naturam in definitione sepit Respublica, quâ mediante ad externam devenimus. Externi rationem induit Salus Civium.

§. 2. Objectum Politicæ, Civitatem fecimus: quod ut germanum esse & adæquatum propugnemus, sic argumentamur. *In quodcumq; politicus adæquatè operatur, & cuicumq; finem suum ingenerat, illud est objectum genuinum & adæquatum Politicæ; in Civitatem politicus operatur adæquatè &c. E.*

§. 3. Major evidentiam habet ex practicarum disciplinarum natura: quæ omnes omnino in suum objectum finem per media ad hunc consequendum facientia inducunt. Piccol. gr. 1. c. 4. Civ. philosoph. Olear. quæst. pol. illustr. decur. 1. qv. 4. ut in Ethica, Oeconomica, Jurisprud. Medicina, &c. videmus. Minor est indubitata fidei. Non enim nisi in civitatem introducenda est Respublica, quæ finis Politicæ internus.

§. 4. Ne verò ambiguitate vocabuli decipiamur, monemus, Civitatis nomen pluriformi acceptione gaudere. 1. enim sumitur ita, ut magnum aliquod consociatarum Rerum publicarum corpus comprehendat, omnesq; illi unius ejusdemq; Civitatis dicantur, quos una & eadem imperii majestas subiectos sibi per omnes imperii vel regni provincias habet, tametsi legibus, moribus, lingvis, atq; aliâ gentium varietate inter se differant. Et hòc modò non tantùm antiquum, d. & hodiernum Romano-germanicum imperium, unius civitatis nomine complectitur omnes imperii provincias & regna, omnesq; status & populos qui Romanam Aquilam agnoscunt, Neufeld Disput. 4. pol. 2. Civitas iisdem legibus & moribus cœtus consociatus est, tametsi per vicus & urbes hinc inde dispersi, sejunctis laribus ac sedibus degunt. Et hòc modò Cæsar l. 1. de bello Gallico, Helvetiorum pagos unam vocat civitatem. 3. Jus, quod cives habent, significat; hinc phrasis: civitate aliquem donare, einem das Bürgerrecht schenken. 4. Accipitur in sensu materiali tantùm, pro collectione nudâ societatum, sine respectu ad illarum coordinationem. Et hòc modò semotis reliquis acceptionibus, Civitas est objectum materiale Politices. 5. Sumitur prout formale simul, h. e. ordinem includit, atq; ad eò totum ex hominum societatibus & earum inter se & ordine civili compositum denotat. Confer Cellar. p. m. 16.

§. 5. Ex his jam proclive erit æstimare, quatenus aliorum sententiæ de objecto politicæ ad nostram vel accedant vel inde recedant. Quas octo numeramus. Est enim 1. qui societatem civilem; 2. qui consociationem hominum, ad vitam civilem constituendam; 3. qui statum publicum s. hominum societatem ex pluribus familiis domesticis certo ordine collectum & directum ad felicitatem publicam; 4. qui civem 5. qui hominem quatenus civiliter instruendus. 6. Qui Rempublicam 7. qui modum rectè administrandi Civitatem; 8. qui modum bene vivendi in societate Civili pro objecto Politicæ exosculantur. Hi omnes aut objecti vocem aliter atq; nos, accipiunt, pro formali scil. vel toto composito, vel illi absq; causa, admiscunt mentionem finis externi, & alia quædam, vel id confundunt cum

actione versante circa objectum; vel objectum exprimunt non satis adæquatum; vel deniq; verbò magis quàm sensu à nobis discrepant.

POSITIO V.

Causa efficiens Politices multiplex assignari potest.

EXPOSITIO.

§. 1. Causarum genera quatuor nobis memorant Metaphysici: Efficientem, Finem, Materiam, Formam. Politica nostra ipsa est forma quædam accidentalis. Non ergo est, cur peculiarem ipsi, qf. compositum quid esset, formam quæramus. Quam ob rationem neq; materiam ex qua agnoscit. Materiam ejus circa quam, seu objectum, nec minùs duplicem finem posit, præcedente manifestavimus. Materiam in qua, seu subjectum cognoscere cupientes, ad Positionem III. remittimus. Dum enim ibi §. 3. politicam esse docuimus habitum intellectualem, subjectum ejus simul, quod est intellectus hominis, indicavimus. sola ergo, è causis, efficiens nobis exponenda superest.

§. 2. Hæc vel est principalis l. minùs principalis. Et hæc rursus vel impulsiva l. instrumentalis. Illa verò vel remota l. propinqua. Efficiens principalis remota DEUS est; propinqua, homines prudentiâ ac doctrinâ instructi. Qui vel ethnici, vel Christiani. Horum autorum si vel sola institueremus recensere nomina, nimis prolixum foret. Minùs principalis causa, eaq; impulsiva vel est interna vel externa. Interna ardor discendi: externa rerum politicarum varietas. In causis instrumentalibus nominamus usum, lectionem Historiarum, peregrinationem, conversationem cum prudentibus, boni systematis comprehensionem.

POSITIO VI.

Politica dispescitur in duas partes. Prior objectum

jectum ejus explicat. Posterior perpendit finem internum & media ad eum ducentia.

EXPOSITIO.

§. 1. Definitione & causis expositis, pergimus ad hujus doctrinæ in duas partes divisionem, quæ eò melius dijudicabitur, quò magis in doles practicarum disciplinarum animo inhæserit. Bipartitam autem facimus Politicam. In priore parte politices objectum discimus, ubi à societatibus simplicibus fit progressus ad compositas, sicq; tandem ad Civitatem ipsam. In alterâ, tum finem objecto implantandum, nempe Rempublicam suis speciebus stipatam: tum media Rempublicam constituendi, administrandi & conservandi edocemur. Pars prior præcognitiva, posterior cognitiva dici potest.

§. 2. Sufficientia hujus divisionis probatu facilis est. Nam certè nihil in omni politices latifundio datur, quod hæc Divisio non exhauriat.

POSITIO VIII.

Attributa hujus Disciplinæ sunt 1. Docilitas. 2. Utilitas & Necessitas. 3. Dignitas.

EXPOSITIO.

§. 1. A divisione ad attributa quædam progredimur. Nemo incipias ibi hanc disciplinam gaudere docilitate. Tametsi enim putet aliquis certa de Civitate aliisq; politicis rebus præcepta tradi & in ordinem redigi haut posse, contrarium tamen probatur, i. ex sufficienti enumeratione requisitorum ad constituendam disciplinam necessariorum, quæ & ipsi politicæ competunt. Ad est enim (α) certum objectum: (β) habetur certus finis: (γ) nec deest certus tractandi modus, methodus & *γῆ, & quidem non ἐξ ἄρχῆς ἀπὸ τῶν δεχῶν* i.e. à principiis ad composita

posita procedens, quæ est Speculativarum & aliàs syntheticus
f. compositivus nominatur ordo; sed *ὅσος ἀπὸ τῆς δεξιᾶς*, h. e.
à fine ad media ducens, quæ est Activarum & aliàs analyticus f.
resolutivus vocatur modus. Cellar. p. m. 18. & 19. 2. Ab eo quod
minus est probabile. Si enim jurisprudentiam, in qua major
rerum & actionum occurrit varietas & perplexitas, quàm in Po-
litica, coherentibus præceptis describi, certisq; regulis, metis &
cancellis includi posse, sperare nos jubent quidam, quorum &
conatus in propatulo sunt: multò magis Politica, quæ tantam
rerum varietatem non habet, in artis formam cogi poterit. 3. à
toto: si enim tota philosophia ordinem tradendi admittit, quid-
ni etiam politica, quæ pars est philosophiæ? 4. Ex effectu: si-
quidem non parvus autorum Catalogus reperitur, qui Politicæ
systemata scripserunt, inter quos ipse philosophorum phospho-
rus Aristoteles primas tenet.

§. 2. Inter alia autem hujus præcepta exosculamur illud
effatum l. Nicom. 3. *Satis hac de re dictum existimetur, si perinde
explicatum fuerit, ac subjecta materia postulat. Nam exacta tra-
ctatio non simili modo in unoquoq; genere exquirenda est, quemad-
modum neq; in artium opificiis: cum eruditi sit eatenus exactam in
unaquaq; re explicationem requirere, quæ rei natura patitur.* Ad
majorem tamen rei declarationem distingvimus inter præcepta
probabilia & apodictica, inter *ἀνεπίβουλον* theoreticam & practicam,
inter politica præcepta & præceptorum istorum applicationem
f. exercitium. Wendeler. p. 502. Liebenthal. p. m. 6. Olear. quæst.
illustr. Disp. 1. quæst. 2.

§. 3. Utilitas politicæ ac necessitas (combinamus easdem,
cum altera qf. ex altera fluat & adstruenda sit) nequit in dubium
trahi, siue sacram theologiam, siue Jurisprudentiam respiciamus.
Quid enim? si heterodoxi à regimine politico ad Ecclesiasticam
jurisdictionem argumententur, poteritne Theologus non instru-
ctus politicis eos refutare? Num potest idem sufficienter judi-
care an politica scripturæ sit contraria nec ne? an usuræ sint li-
citæ? an pœnæ exaggerandæ? an lupanaria concedenda? an
munia Magistratum: an modus contractuum commerciorumq;
tolerandus? non habens politicæ notitiam? Quid? ipse sacer
Codex


Codex politicis abundat, quæ nullô modô queunt dextrè expli-
cari & applicari ab eo, qui nescit politicam. Hinc in propatu-
lo est hujus disciplinæ necessitas & utilitas apud Theologos.

§. 4. Quantum verò conducibilitatis conferat Jurecon-
sultis, si enarrarem, illud fortean consequeretur, quod impingi-
tur iis, qui oriô jam Sole, facem accendere volunt. Distingvi-
mus tamen inter homines dictarum facultatum accuratos & non
accuratos. it. inter necessitatem simplicem & hypotheticam. vi-
de Avenar. Colleg. Polit.

§. 5. Dignitatem docent innumera Auctorum, quibus
hanc disciplinam ornare encomia. v. Si benthaf Pol. præem.
disp. I. inter quæ illud Aristotelis eminent, vocantis eam *maximè*
architectonicam, quod & suprâ, §. 6. Pos. III. retulimus. Hoc
tantùm observetur, imperare illam non sapientiæ, sed pro sapi-
entiâ. VI. Nic. ult.


§. 6. Atq; sic de natura & Constitutione Politices dixisse
sufficiat. Gloria sit Patri, Filio & Spiritui
Sancto.

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
SACHSEN-ANHALT



94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle

3

002 381 974




sb.

7360



A spiritu sancto et ceperunt loqui
omnes et omnia que in
humana dicitur in illis. Et in



ATIO

ET CON-

POLITICES.

Philurea

Facultatis Philosophicae

gente

I D E

Clarissimoq;

THOMASIO,

professore celeberrimò,

adessore & Collegii

Collegiato,

ac Fautore suò colendò

torum Disquisitioni

TIANUS VILIZ,

nsis Saxo.

Februarij

M. C.

DC LIX.

I Æ

Colerianis.